pag.124.17. Vox autem יִשְׂמְחוּ est tertia persona pluralis Futuri, Verbi שָׂמַח, in Coniugatione Kal. Debuit autem secundùm Regulam scribi יִשְׂמְחוּ, sicut יִשְׂמְעוּ; tamen propter accentum Soph pasuch, qui indicat finem periodi, mutatum est Sceua * secundæ Radicalis in Camets. Hoc etiam loco pro Futuro, *lætabuntur*, rectè vertit Interpres per modum imperandi, *lætentur*, quòd careant Hebræi tertia persona Imperatiui.

S. M. * *Vtpote accidentarium, & pro (-) « variandæ dictionis gratiâ vsurpatum.* « *Vide pag.93.17.* «

ג

Versus 111.

exaltemus & : mecum Dominum Magnificate

וְנָרוֹמְמָה	אִתִּי	לַיהוָה	גַּדְּלוּ
vnromema	itti	Adonai	Gaddelu

. pariter eius nomen

יַחְדָּו׃	שְׁמוֹ
iachdau	schemo

[גַּדְּלוּ] *Magnificate.* Est secunda

perſona numeri multitudinis, modi Imperatiui, Verbi גָּדַל, in Coniugatione Piel. Itaque גָּדַל ſignificat *magnus fuit*, in Piel גִּדַּל, *magnificauit*, in Imperatiuo גַּדְּלוּ, *magnificate*, ſicut לַמְּרוֹ. pag. 142. 7.

[לַיהוָה] *Dominum*. Litera ל eſt ſeruilis, deſeruítq; hoc loco pro Articulo accuſatiui caſus. Vide pag. 75. 16. De יהוה dictum eſt.

[אִתִּי] *mecum*. Præpoſitio eſt cum Affixo Pronomine primæ perſonæ. Nam אֵת eſt præpoſitio *cum*. pag. 214. 20 & recipit Affixa more Nominum. pag. 215. 1.

[ונרוממה] *& exaltemus*. Litera ו ſeruilis eſt, ſignificans &. Habet autem punctum in ventre loco Sceua, propter aliud Sceua ſequens. pag. 225. 9. Vox נְרוֹמְמָה eſt prima perſona pluralis Futuri in Piel, à Verbo רום, cum ſuperaddito ה Paragogico. Radix ergo eſt רום, quod eſt Verbum ex Quieſcentib.

Aiin Vau, & significat *exaltari*. In Piel, siue Poel facit רוֹמֵם, *exaltauit*, in Futuro, אֲרוֹמֵם יְרוֹמֵם תְּרוֹמֵם נְרוֹמֵם; addito autem ה Paragogico fit נְרוֹמְמָה, *exaltabimus*, vel *exaltemus*, de more Hebræorum, qui per Futurum exprimunt etiam Imperatiuum.

[שְׁמוֹ] *nomen eius*. Nomen cum Affixo tertiæ personæ. Radix est שֵׁם, & cum Affixo שְׁמוֹ, *nomen eius*. Vide pag. 100. 4.

[יַחְדָּו] *pariter*. Aduerbium à Radice יָחַד, quod Verbum significat *vniri*. Inde enim fit Aduerbium יַחַד, & יַחְדָּו, *pariter, simul*. Vide pag. 214. 6.

ד

Versus IV.

omnibus ex &	: me audiuit &	Dominum	Quæsiui
וּמִכֹּל-	וְעָנָנִי	אֶת־יְהוָה	דָּרַשְׁתִּי
vmiccol	*veanani*	*Adonai eth*	*Daraschti*
.me liberauit	meis pauoribus		
הִצִּילָנִי׃	מְגוּרוֹתָי		
hitsilani	*megurothai*		

[דָּרַשְׁתִּי] *Quæsiui*. Prima persona singularis Præteriti, Verbi דָּרַשׁ, in Con-

iugatione Kal, ſicut לְמַדְתִּי. Vide pag.130. vlt.

[וְעָנֵנִי] *& audiuit me.* Tertia perſona ſingularis Præteriti, Verbi עָנָה, *audiuit, reſpondit*, in Coniugatione Kal, cum Affixo primæ perſonæ; ſiquidem tertia Radicalis ad præſentiam Affixorum excidere ſolet. Itaque à עָנָה, addito נִי quod eſt Affixum primæ perſonæ, & remota litera ה, fit עָנֵנִי, *audiuit me*, ſiue *reſpondit mihi.* pag.198. 9.

„ S. M. *Ante Affixum* נִי *debebat eſſe*
„ *Pathach, ſed propter Athnach eſt Camets.*
„ *Vide pag.92.16.*

[וּמִכֹּל] *& ex omnibus.* Litera ו ſeruilis eſt ſignificãs *&*: habet autẽ punctum in ventre loco Sceua propter ſequentem literam Labialem. Vide pag.225.8. Sequens particula מִ eſt Præpoſitio מִן, quæ ſignificat *ex, ab, de*, ſed euphoniæ cauſſa vbique perdit literam נ, & loco eius infigit Daghes in ſequẽti. p.218.17. De voce כֹּל dictum eſt verſu primo.

[מְגוּרוֹתַי] *pauoribus meis.* Nomen eſt fœmininũ numeri pluralis cum Affixo primæ perſonæ. Radix eſt גור, quod Verbũ ſignificat *peregrinari, & pauere.* Inde fit Nomen maſculinum מָגוֹר, ſiue מְגוֹר, *pauor,* vbi litera מ eſt formatiua Nominis. Vide pag. 82. 4. Ab hoc maſculino מָגוֹר fit fœmininum מְגוּרָה. pag. 69. 13. in plurali מְגוּרוֹת, *pauores.* pag. 70. 19. & cum Affixo מְגוּרוֹתַי, *pauores mei.*

[הִצִּילַנִי] *liberauit me.* Præteriti perſona tertia ſing. Verbi נָצַל, in Coniug. Hiphil, cum Affixo primæ perſonæ. Itaque à נָצַל, quod eſt Verbum ex defectiuis Pe Nun, fit in Hiphil הִצִּיל, *liberauit.* Vide pag. 159. 13. & cum Affixo הִצִּילַנִי, *liberauit me.* pag. 206. 11. Sub litera ל eſt Camets pro Patach; ſiquidẽ ante Affixum primæ perſonæ in Verbis ponitur Patach: vide pag. 198. 8. tamen propter accentum Soph paſuch vertitur hoc loco Patach in Camets. Vide pag. 92. 16.

ה ו

Versus v.

Accedite. Illuminamini vestra.

eorum facies &	: sunt illustrati &	eum ad	Aspexerunt
וּפְנֵיהֶם	וְנָהֲרוּ	אֵלָיו	הִבִּיטוּ
vphnehem	venaharu	elau	Hibbitu

.confundentur non

אַל־יֶחְפָּרוּ׃	
iechparu	al

[הִבִּיטוּ] *Aspexerunt.* Tertia persona pluralis præteriti, Verbi נָבַט in Hiphil. Verbum נָבַט ex defectiuis Pe Nun, in Hiphil facit הֵבִיט, *aspexit.* Inde הִבִּיטוּ, *aspexerunt.* Sciendum est D. Hieron. & LXX. Interpretes non legisse הִבִּיטוּ, sed הַבִּיטוּ, in Imperatiuo, & ideò vertisse, *accedite*, videlicet *oculis*. i. *respicite.*

[אֵלָיו] *ad eum.* Præpositio cum Affixo. Radix videtur esse אֵלָה, inde fit præpositio אֵל *ad*, & scribitur cum Segol, vt distinguatur ab אֵל, quod est vnum ex nominibus Dei. Cum Affixo tertiæ personæ singularis & quibusdam aliis mutat Segol in Tsere, & additur י post ל, & fit אֵלָיו, ad eum. Vide pag. 215. 8.

[וְנֶהָרוּ] *& illuminati sunt.* Tertia persona pluralis Verbi נָהַר, in Kal. נָהַר significat *confluxit, illuminatus est:* in tertia persona plurali facit נֶהָרוּ, vbi sub litera ה est Sceua cõpositum, non simplex de more aliorum Verborum, quia ה litera gutturalis est, & propterea non patitur sub se Sceua simplex. Vide pag. 37. 20. Hoc autem loco propter Accentum distinctiuum, non est etiam Sceua cõpositum, sed Camets. Vide pag. 93. 17. Porrò D. Hieronymus qui vertit *confluite*, & LXX. Interpretes, qui verterunt *illuminamini*, non legerunt נֶהָרוּ, sed in Imperatiuo, נַהֲרוּ.

[וּפְנֵיהֶם] *& facies eorum.* Litera ו habet punctum in ventre loco Sceua, quia præcedit literam Labialem, nimirum פ. Vide pag. 225. 8. Illud autem פְּנֵיהֶם, Nomen est plurale cum Affixo. Radix est פָּנָה, *aspexit*, inde fit Nomen פָּנִים, *facies*, & solùm inuenitur in numero plurali: in Regimine facit פְּנֵי,

& cum Affixo פְּנֵיהֶם, *facies eorum*. pag. 90. 16. Eſt autem obſeruandum, D. Hieron. & LXX. qui verterunt, *facies veſtræ*, non legiſſe פְּנֵיהֶם, ſed פְּנֵיכֶם.

[אַל] *non*. Aduerbium negandi, ſicut etiam לֹא. Vide pag. 213. 11.

[יֵחָפְרוּ] *confundentur*. Tertia perſona pluralis Futuri Kal, à Verbo חָפַר, quod eſt *erubuit*, & *confuſus eſt*. Habet autem ſub litera ֵ punctum ֵ, propter ſequentem gutturalē *. vide pag. 135. 20. & ſub litera ה habet Sceua ſimplex pro compoſito, quia ſequitur Daghes lene. pag. 38. 3. denique ſub litera פ habet Camets pro Sceua, propter Accentum diſtinctiuum. Vide pag. 93. 17.

S. M. * *Quæ regulariter deberet habere Chateph ſegol.*

Verſus VI.

ז

Versus VI.

audiuit Dominus & clamauit pauper Iste

שָׁמַע וַיהוָה קָרָא עָנִי זֶה

ſcameag vadonai kara gani Ze

eum ſaluauit eius anguſtiis omnibus ex &

הוֹשִׁיעוֹ: צָרוֹתָיו. וּמִכָּל־

hoſchigo tſarothau vmiccol

[זֶה] *Iſte.* Pronomen demonſtratiuũ, generis maſculini, *iſte, hic.* pag. 90. 17.

[עָנִי] *pauper.* A Verbo עָנָה, quod eſt, *humilis, & pauper fuit*, fit Nomen עָנִי, *pauper*, vbi י eſt loco vltimæ Radicalis.

[קָרָא] *clamauit*, eſt perſona tertia ſingul. præter. maſc. gen. & proinde ipſa Radix.

[שָׁמַע] *audiuit*, eſt etiam ipſa Radix, dicimus enim שָׁמַע & שָׁמַע. pag. 132. 6. Porrò Patach ſub litera *y* eſt additum, propter pronuntiationem literæ *y*. pag. 31.

(וּמִכָּל־) vide ſuprà verſu 4.

(צָרוֹתָיו) *anguſtijs eius.* A Verbo צוּר, quod eſt, *anguſtijs affecit*, fit Nomen

fœmininum צָרָה, *angustia*: in plurali צָרוֹת, *angustiæ*, cum Affixo tertiæ personæ צָרוֹתָיו, *angustiæ eius*. pag. 90. 12.

„ S. M. *Nomina fœminina in plurali,*
„ *vt ex hoc videre est, seruant integram ter-*
„ *minationem pluralem cum affixis, quod*
„ *non faciunt masculina; & præterea more*
„ *masculinorũ ante affixa interponunt Iod,*
„ *ante quod easdem habent vocales, atque*
„ *ipsa masculina, nisi quòd pro* הֶם *&* הֶן
„ *interdum fœmininis nominibus pluralis*
„ *numeri* ם *&* ן *subiunguntur, expuncto*
„ *Iod, vt versu 17.* צָרוֹתָם anguſtiis eorũ.

(הוֹשִׁיעוֹ) *saluauit eum.* Radix est יֶשַׁע, vnde fit יֵשַׁע, *salus.* inde fit Verbũ in Hiphil הוֹשִׁיעַ, *saluauit.* vide Quiescentia Pe Iod, pag. 170. vlt. Addito Affixo, fit הוֹשִׁיעוֹ, *saluauit eum.* pag. 206. 6. Inde est nomen יְהוֹשֻׁעַ, Iesus. Nec enim scribi debet יֵשׁוּ, vt Iudæi per contemptum scribunt; nec etiam יְשׁוּעָה, quod *salutem*, non *saluatorem* significat, sed יְהוֹשֻׁעַ, quod semper LXX. In-

terpretes verterunt Ἰησοῦ, vnde est Latinum IESVS, & quod Nomen fuit Iesu Naue, & Iesu Iosedech, qui typum gesserunt Saluatoris nostri, & quod deniq; veram habet formam Nominis proprij, & Saluatorem significat, cùm Iod initio positum, sit proprij nominis formatiuum, & reliquæ literæ sint Verbi הוֹשִׁיעַ, quod est *saluare*.

ח

Versus VII.

eum timentes	circa	Domini	Angelus	Castrametatur
לְיִרְאָיו	סָבִיב	מַלְאַךְ־יְהוָה	חֹנֶה	
lireau	*sauif*	*adunai*	*malach*	*Chone*

eos eripuit &

וַיְחַלְּצֵם׃		
vaichalletsem		

(חֹנֶה) *Castrametatur.* Participium præsens à Verbo חָנָה, quod propriè significat *castrametatus est.* Sed quia carent Hebræi Præsenti tempore, & pro eo vtuntur plerumque Participio præsenti, ideò חֹנֶה rectè vertitur *castrametatur*, siue *circumdat more castrorum.*

Vide inflexionem Verborum quieſcentium Lamed He, pag. 183. vlt.

(מַלְאָךְ) *Angelus.* Nomen eſt Hecmanticum, deductum à Verbo לָאַךְ inuſitato, per additionem literæ מ. pag. 80. 9.

(סָבִיב) Præpoſitio eſt, ſignificátque *in circuitu, in gyro, circa*, à Verbo סָבַב, quod eſt *circuire*. Vide Præpoſitiones pag. 214 vlt.

S. M. Zarka, *qui in alijs libris vltimæ ſemper literæ inſidet, licet alioquin ad penultimam interdum ſyllabam acuendam pertineat, hîc, vt & alibi ſæpe in libris Iob, Pſal. & Prouerbiorum, ante Merca peſchouta, & Mahpach primæ dictionis literæ imponitur, & Muſicæ inſeruit. Vide pag. 61. 10. & in omiſſis huius paginæ, pag. 253. 21.*

(לְיִרְאָיו) *timentes eum.* Litera ל eſt Articulus, & habet Chiric loco duorum Scheuaim, quorum vnum ſub Iod, alterum ſub ipſo Lamed eſſe debuiſſet.

Eadem enim est ratio literæ ל & literæ ו quoad puncta subiecta. : de quo vide pag. 225. 11. & 229. 15. Remota igitur ל, sequens dictio integra est יְרֵאָיו, quæ quidē est Participiū generis masculini, numeri pluralis cum Affixo, à Verbo יָרֵא, *timuit.* Participium enim est etiam יָרֵא, nec à Præterito vllo modo differt. pag. 134. 10. Porrò יָרֵא, *timens*, in plurali facit יְרֵאִים, *timentes*; iuxta Regulas mutationis punctorum. pag. 100. 18. & 103. 18. & cum Affixo יְרֵאָיו, *timentes eum.* pag. 90. 12.

(וַיְחַלְּצֵם) *& eripuit eos.* Litera ו est seruilis, vertitq; significationē Futuri in Præteritum. vide pag. 228. 6. Vox autem יְחַלְּצֵם est persona tertia generis masculini, numeri singularis Futuri, in Coniugatione Piel, cum Affixo tertiæ personæ pluralis masculini generis. Radix est חָלַץ, *recessit:* inde חָלַץ, *remouit, eripuit;* inde in Futuro יַחֲלֹץ, *eripiet;* & cum Affixo יְחַלְּצֵם, *eripiet eos.*

& cum Vau versiuo וַיַּחַלִּיצֵם, *& eripuit eos.* Vide de Affixis Verborum in Piel, pag. 204 14.

Obseruandum est, D. Hieronymum, & LXX. Interpretes, qui verterunt, *& eripiet eos*, non legisse Vau cum Patach, sed cum Chiric, hoc modo, וְיַחֲלִיצֵם, *& eripiet eos.*

ט

Versus VIII.

: Dominus	bonus	quoniam	videte &	Gustate
יְהוָה	טוֹב	כִּי־	וּרְאוּ	טַעֲמוּ
Adonai	*tof*	*ki*	*vru*	*Tagamu*
.eo in	sperabit	vir ille		beatus
בוֹ׃	יֶחֱסֶה־	הַגֶּבֶר		אַשְׁרֵי
bo	*iechese*	*haggeuer*		*asre*

(טַעֲמוּ) *Gustate.* A Præterito טָעַם, *gustauit*, fit in Imperatiuo secunda persona pluralis, טַעֲמוּ, *gustate*, vbi Patach est sub prima Radicali pro Sceua, aut Chiric, propter sequentem gutturalē*. Vide pag 137. 16.

* quæ habet chateph pathach

(וּרְאוּ) *videte.* A Præterito רָאָה, *vidit*, fit in Imperatiuo רְאֵה, *vide*, & רְאוּ,

videte. Vide inflexionem Verborum Quieſcentium Lamed He.

[כִּי] Coniunctio eſt, ſignificátque *quoniam, quòd, quia,* & ſimilia. p. 215. 22.

[טוֹב] *bonus.* A Verbo טוֹב, quod ſignificat *bonum eſſe*, fit Nomen טוֹב, *bonus.* Sciendum eſt autem, ſubintelligi Verbum ſubſtantiuum, cùm dicitur, *guſtate & videte, quoniam bonus Dominus.* Vide pag. 235. 19.

[אַשְׁרֵי] *beatus.* A Radice אֶשֶׁר fit Verbum אָשַׁר, *beatificauit*, & Nomen אַשְׁרֵי, *beatus*, & *beati*: eſt enim vtriuſq; numeri, licet formam præ ſe ferat Nominum numeri pluralis, & in Regimine exiſtentium.

S. M. *Exiſtimo cum multis* אַשְׁרֵי *eſſe* « *Particulam ſeu Aduerbium, quòd puncta* « *cum diuerſis Affixis eadem habeat, nec illa* « *vnquam variet, ſicuti faciunt nomina.* « *Eſt igitur ſicut* אַחֲרֵי poſt, & אַחֲלֵי vtinã, « *& exponi debet,* beatè, fœliciter, *vſur-* « *patúrque quemadmodum apud Plautum* «

» *in Sticho:* Bene vos, bene nos, bene te,
» bene me, *&c. Sic* אַשְׁרֵי הַגֶּבֶר *reddi debet,*
» fœliciter, vel beatè illum virum.

[הַגֶּבֶר] *ille vir.* Litera ה seruilis est, vim habens Pronominis demõstratiui, more Græcorũ Articulorum. Punctum eius ordinarium est Patach sequente Daghes. Vide pag. 222. 19. Nomen autem גֶּבֶר fit à Verbo גָּבַר, quod est *roborari*, & ideò propriè significat *virum*, qui etiam apud Latinos à viribus sic appellatur.

» S. M. *De Gereſch accentu Musico ante*
» *Rebia vide in tit. huius Psalmi p. 264. 17.*

[יִחְסֶה] *sperabit.* Futuri tertia persona singularis, generis masculini, à Verbo חָסָה, *sperauit.* Vide inflexionem Verborum quiescentium Lamed He, pag. 184. 22. Sub litera autem Iod est ◌ִ, quia sub Chet gutturali est ◌ֶ, vide pag. 135. 9. Et quamuis יִחְסֶה sit Futurum, tamen rectè vertitur à D. Hieron. & à LXX. Interpretibus per tempus

Præsens. Vtuntur enim Hebræi Futuro pro Præsenti, præsertim quando significatur continuatio actionis. Vide pag. 113. 18. Notandum est etiam, deesse hoc loco pronomen relatiuum, & subintelligendum esse, *qui*. vide pa. 238. 20.

S. M. *Accentus in hac dictione, etsi* « *vnicus, non tamen est Grammaticus iuxta* « *Regulam pag. 56. lin. 5. sed Rhetoricus* « *Methegh, vt ex figura videre est, Gram-* « *maticus enim sublatus est ab vltimâ syl-* « *laba per Maccaph. Vide p. 54. 7. & p. 56. 8.* «

[בּוֹ] *in eo*. Litera seruilis cum Affixo. vide pag. 230. 15.

S. M. *Daghes in litera Beth non est* « *lene, quale solet esse in principio dictionis,* « *sed forte* Euphonicum, *quod vocant,* « *quale non tantùm in literas* בגד כפת, *sed* « *in alias etiam non rarò cadit post voces* « *in immediatè, vel in* ה ָ, ה ַ *&* ה ֶ *ter-* « *minatas, & per Maccaph cum sequente* « *dictione copulatas, & interdum etiam* « *absente Maccaph. Vide pag. 43. in fine,* « *& 44. initio.*

Versus IX.

non	quoniam	:eius sancti	Dominum	Timete
אֵין	כִּי־	קְדֹשָׁיו	אֶת־יְהוָה	יְרֵאוּ
en	*ki*	*kedoscau*	*Adonai eth*	*Ieru*
		.cum timentibus	defectus	
		לִירֵאָיו	מַחְסוֹר	
		lireau	*machsor*	

[יְרֵאוּ] *Timete*. Secunda persona pluralis numeri, generis masculini, modi Imperatiui, à Verbo יָרֵא, *timuit*. Et quidem secundùm Regulas deberet esse Imperatiuus, יְרֵא, *time*, יִרְאוּ, *timete*. Vide pag. 195. 20. quia tamen à Verbo etiam רָאָה, *vidit*, fit יִרְאוּ, *videbunt*, ne ista Verba confundantur, in priori dicimus יְרֵאוּ, cum א penitus quiescẽte.

[קְדֹשָׁיו] *sancti eius*. A Verbo קָדַשׁ, *sanctus fuit*, descendit Nomen קָדוֹשׁ, *sanctus*, in plurali קְדוֹשִׁים, *sancti*, cum Affixo קְדוֹשָׁיו, *sancti eius*. Vide de mutatione Punctorum, pag. 100. 18.

[כִּי־] Vide suprà versu 8.

S. M. *Habet accentum non quidem*

Grammaticum, is enim propter Maccaph "
ſublatus eſt, ſed Rhetoricum Methegh qui "
vocem retinet, docétque proferendam cum "
decenti grauitate. In pleriſq; exemplarib. "
כִּי *hoc, eſt ſine Methegh.* "

[אַיִן] Aduerbium negandi. p.213.11.

[מַחְסוֹר] *defectus.* A Verbo חָסַר, *defecit*, formatur nomen per additionẽ מ, quæ vna eſt ex literis Heemanticis, מַחְכּוֹר, *defectus, inopia.* Vide pag.80.9.

[לִירֵאָיו] *timentib. eum.* Vide ſup.v.8.

כ

Verſus x.

Dominum quærentes & :eſurierunt & eguerunt Leunculi

יְהוָה	וְדֹרְשֵׁי	וְרָעֲבוּ	רָשׁוּ	כְּפִירִים
Adonai	*vedoreſce*	*verageuu*	*raſcu*	*Kephirim*

.bono omni deficient non

לֹא־	יַחְסְרוּ	כָל־	טוֹב׃	
lo	*iachſeru*	*col*	*tof*	

[כְּפִירִים] *Leunculi.* A Verbo כָּפַר fit Nomen כְּפִיר, & ſignificat propriè *leunculum iam grandiuſculum, & ad prædandum idoneum*, vt patet ex libro Ezech.c.19.v.3. & per metaphoram in-

telligitur tam hoc loco, quàm apud Ezechielem, per leunculum homo diues & potens, alienorum bonorum cupidus, direptórque.

(רָשׁוּ) *eguerunt.* Tertia persona numeri pluralis, temporis Præteriti à Radice רוּשׁ, *egere.* Sic autem flectitur Præteritū: רָשׁ רָשְׁתָּ רָשְׁתִּי רָשׁוּ. Vide p. 174. 4.

(רָעֲבוּ) *esurierunt.* רָעַב, *esurijt;* inde in tertia persona plurali רָעֲבוּ, *esurierunt,* & propter Accentum distinctiuum, רָעֲבוּ. Vide pag. 93. 5.

(דֹּרְשֵׁי) *quærentes.* Est Participium actiuum, numeri multitudinis in Regimine, à Verbo דָּרַשׁ, *quæsiuit.* Hinc enim דּוֹרֵשׁ, *quærens,* & in plurali דּוֹרְשִׁים & דֹּרְשֵׁי, *quærentes.*

(לֹא) *non.* Aduerbium negandi.

S. M. *De Methegh vide superiore*
„ *versu in* בִּי.

„ (יַחְסְרוּ) *deficient.* A Verbo חָסַר, *defecit,* fit Futurū יַחְסְרוּ, *deficient.* p. 135. penult.

(כָּל) *omni.* vide sup. ver. 1.

(טוֹב) *bono.* Etsi propriè טוֹב est Nomen generis masculini, vnde fit fœmininum טוֹבָה, *bona*; & Hebræi plerumque vtuntur fœminino pro neutro quo carent, vt D. Hieronymus docet in cap. 7. Ecclesiastæ, tamen vtuntur etiam non rarò ipso masculino, vt hoc loco, & alibi.

ל

Versus XI.

.vos docebo Domini timorē : me audite filij Venite

לְכוּ־בָנִים שִׁמְעוּ־לִי יִרְאַת יְהוָה אֲלַמֶּדְכֶם׃

alammedchem Adonai ÿrath li ſcimgu vanim Lechu

(לְכוּ־) *Venite*, secunda persona pluralis Imperatiui, à Verbo יָלַךְ, *venit.* Vide inflexionē pag. 170. 15. Sciendum tamen est hoc Verbum יָלַךְ non esse in vsu in Præterito & Participiis, sed pro eo vsurpari Verbum הָלַךְ, quod idem significat, sicut è contrario Verbum הָלַךְ rarò est in vsu in Infinitiuo, Imperatiuo, & Futuro, & pro eo vsurpatur Verbum יָלַךְ.

» S. M. *Vox hæc propter Maccaph* » *amittit accentum grammaticum, qui de-* » *beret esse in vltimâ, habetq; duntaxat* » *accentum rhetoricũ Gaia, eúmque ad latus* » *siniſtrum. Vide pag. 54. 11. quomodò ſcheua* » *legendum ſit cum Gaia.*

(בָּנִים) *filij.* A Verbo בָּנָה, *ædificauit*, fit Nomen בֵּן, *filius*, quia filius eſt quaſi opificium quoddam patris, in plurali בָּנִים, *filij*, in fœminino בַּת, pro בָּנָת*, *filia*, in plurali בָּנוֹת, *filiæ*. Vide p. 100. 3.

* vel potiùs בָּנָת

(שְׁמַע) *audite*, Imperatiuus à Radice שָׁמַע, ſicut à לָמַד fit לִמְדוּ. Vide p. 131. 19.

(לִי) *me*, Articulus cum Affixo primæ perſonæ. pag. 88. 10. Et quanquam ל ordinariè eſt Articulus genitiui, aut datiui, tamen interdum etiam ſeruit* accuſatiuo. pag. 75 16.

» S. M. * *Quin potiùs dic Verbum* שָׁמַע » *conſtrui cum* ל, *ſeu datiuo, quod non eſt* » *alienum, ſicut & cum* אֶל *&* ב.

(יִרְאַת) *timorem.* A Verbo יָרֵא, *timuit*, fit Nomen fœmininum יִרְאָה, *timor*,

& in Regimine genitiui יִרְאַת. Vide pag. 76. 9.

(אֲלַמֶּדְכֶם) *docebo vos.* Prima Perſona Futuri Piel cum Affixo, à Verbo לָמַד, *didicit.* Vide inflexionem ſine Affixo, pag. 142. 9. & cum Affixo, pag. 204. 14.

ם

Verſus XII.

dies	diligit	: vitam	vult qui	vir ille	Quis
יָמִים	אֹהֵב	חַיִּים	חָפֵץ	הָאִישׁ	מִי
iamim	*ohef*	*chaiim*	*hechaphets*	*haiſc*	*Mi*

.bonum videndum ad

לִרְאוֹת	טוֹב׃
liroth	*tof*

(מִי) *Quis*, Pronomen relatiuum, & interrogatiuum, quod de ſolo homine dicitur. Vide pag. 91. 5.

(הָאִישׁ) *ille vir.* Litera ה deſeruit demonſtrationi: habet Camets pro Patach, quia ſequens litera non eſt capax Daghes. Vide pag. 222. 21. Vox אִישׁ eſt ipſa Radix, & ſignificat *virum*, vt à fœmina diſtinguitur, & ponitur pro marito ſiue maſculo. Inde אִשָּׁה, *mulier*,

fœmina, vxor. Dicitur etiam, אִישׁ, *vnuſquiſque, quilibet, quicumque.* Deeſt hoc loco Verbum ſubſtantiuum de more Hebræorum, integra enim ſententia eſt, *Quis eſt ille vir?* pag. 235. 19.

(הֶחָפֵץ) *qui vult.* Litera ה præpoſita participio ſeruit loco Relatiui אֲשֶׁר, *qui*, & habet Segol, quia ſequitur gutturalis affecta puncto Camets. Vide p. *223. 4.* Vox autẽ חָפֵץ eſt Participium, à Verbo חָפֵץ, *voluit.* Hebræi pro præſenti, quo carent, vtuntur Participio, præcedente pronomine. Vide pag. 112. 8.

(חַיִּים) *vitam*, Nomen eſt pluralis numeri, nec habet ſingularem, vt apud Latinos *opes, delitiæ, anguſtiæ*, &c. Deducitur à Verbo חָיָה, *vixit.* Vide p. 74. 10.

(אֹהֵב) *diligit.* A Præterito אָהַב, *dilexit*, fit Participiũ numeri ſingularis אוֹהֵב, *diligens*, ſed explicatur per Præſens, *diligit*, quia pertinet huc etiam Relatiuum præfixum Participio חָפֵץ.

(יָמִים) *dies.* Radix eſt יוֹם, *dies*, in plu-

plurali יָמִים, *dies*. Vide pag. 98. 6.

[לִרְאוֹת] *ad videndum*, Infinitiuus est cum litera ל formatrice gerundij, à Verbo רָאָה, *vidit*. Inflexionem huiusmodi Verborum habes, pag. 184. 13. De literis formatricibus gerundiorum. vide pag. 134. 17. Habet autem litera ל sub se Chiric pro Sceua, ne duo Sceua in initio concurrant. Vide pag. 134. 19.

[טוֹב] *bonum*. D. Hieronymus, & LXX. Interpretes, qui verterunt, *dies videre bonos:* non ad verba, sed ad sensum respexisse videtur. Nam טוֹב singulare est, & in plurali habet טוֹבִים.

נ

Versus XIII.

tua labia &c	: malo à	tuam linguam	Custodi	
וּשְׂפָתֶיךָ	מֵרָע	.לְשׁוֹנְךָ	נְצֹר	
vsphathecha	*merag*	*lesconecha*	*Neisor*	
	.dolum	loquendo à		
	מִרְמָה׃	מְדַבֵּר		
	mirma	*middabber*		

[נְצֹר] *Custodi*. Imperatiuus à Verbo נָצַר *custodiuit*, esse debuit צֹר *custodi*.

* Imò sæpiùs. vide pag. 159. 12. Tamen * interdum etiam Verba ista defectiua sequuntur normam Perfectorum, vt hoc loco à נָצַר fit נְצוֹר, sicut à לָמַד fit לְמוֹד. vide pag. 131. 15.

[לְשׁוֹנְךָ] *linguam tuam.* A Verbo לָשַׁן inusitato fit Nomen לָשׁוֹן, *lingua,* in Regimine לְשׁוֹן, cum Affixo לְשׁוֹנְךָ, *lingua tua.* Vide pag. 90. 10.

[מֵרָע] *à malo.* Litera מ seruit loco Præpositionis *à, ab,* & habet Tsere, quia sequens non capit Daghes. vide pag. 218. 20. Vox autem רַע deducitur à Verbo רוֹעַ, *malum esse.* Dicimus enim רַע, *malus,* & *malũ;* & רָעִים, *mali,* & *mala;* & scribitur quidem ordinariè cum Patach רַע, tamen hoc loco propter * Accentum distinctiuum habet Camets. vide pag. 92. 7. & 16.

„ S. M. * רָע *sine accentu distinctiuo in-*
„ *terdum scribitur cum* ., *maximè præpo-*
„ *sitis literis* וְהַלֵּב, *vt obseruat Mercerus in*
„ Thesauro Pagnini *ad hanc vocem, & in*

mox sequente versu videre est.

[וּשְׂפָתֶיךָ] *& labia tua.* Litera ו seruit loco Coniunctionis *&*, habet verò punctũ in ventre loco Sceua, propter sequens Sceua. vide pag. 225. 9. שְׂפָתֶיךָ est nomen dualis numeri, cum Affixo. Radix est שְׂפָה, *labium*, in duali שְׂפָתַיִם, *labia*, pag. 73. 14. & cum Affixo שְׂפָתֶיךָ, *labia tua.* vide pag. 90. 12.

S. M. *De Gereſch supra* ו *vide 1°. versu pag. 264.*

[מִדַּבֵּר] *à loquendo*, Infinitiuus cum litera מ formatiua gerundij, in Coniugatione Piel, à Verbo דִּבֵּר, quod est, *locutus est.* vide pag. 142. 4.

[מִרְמָה] *dolum*, Nomen fœmininum Heemanticum. Deriuatur à Radice רָמָה*, *fraudauit.* Vide pag. 82. 10.

* In Kal *iaculari*, in Piel *frandare* significat.

ס

Verſus XIV.

pacem quære : bonum fac & malo à Declina

סוּר מֵרָע וְעֲשֵׂה־ טוֹב בַּקֵּשׁ שָׁלוֹם

ſcalom bakkeſe tof vagaſe merag Sur

.eam perſequere &

וְרָדְפֵהוּ׃

verodphehu

[סוּר] *Declina*, Imperatiuus à Præterito סָר, ex Quieſcent. Aiin Vau. pag. 174. 10.

[מֵרָע] *à malo*. vide ſuperiore verſu.

[וְעֲשֵׂה־] *& fac*. Litera ו ſeruilis eſt, ſignificans *&*; habet autem ſub ſe Patach, quia litera ſequens eſt gutturalis*. vide pag. 225. 14. Vox autem עֲשֵׂה, eſt Imperatiuus à Præterito עָשָׂה, *fecit*. vide inflexionem, pag. 184. 16. Habet verò עֲשֵׂה־ pro Sceua ſimplici Sceua compoſitum ſub prima Radicali, quia ea litera gutturalis eſt.

* quæ habet chateph patach.

[טוֹב] *bonum*. vide ſup. ver. 8. & 12.

[בַּקֵּשׁ] *quære*, Imperatiuus in Coniugatione Piel, à Præterito בִּקֵּשׁ, *quæſiuit*, vide pag. 142. 6.

[שָׁלוֹם] *pacem*, Nomen à Verbo שָׁלַם, *pacificus fuit.*

[רָדְפֵהוּ] *persequere eam*, Imperatiuus cum Affixo à Præterito רָדַף, *persecutus est;* Imperatiuus est רְדוֹף, *persequere:* sed propter Affixũ vertitur * Sceua in Camets chatuph, & Cholem in Sceua, & addito Affixo, fit רֳדְפֵהוּ, pag. 203. 14. Nota etiam, illud הוּ esse Affixum proprium Verborum. Vide pag. 196. 21.

* Vel potiùs ו, fitq; metathesis punctorum.

ע

Versus XV.

ad	eius aures &	: iustos	ad	Domini	Oculi
אֶל־	וְאָזְנָיו	צַדִּיקִים	אֶל־	יְהוָה	עֵינֵי
el	*veoznau*	*tsaddikim*	*el*	*Adonai*	*Gene*

.eorum clamorem

שַׁוְעָתָם׃

scafgatham

[עֵינֵי] *Oculi.* Radix est עַיִן, *oculus*, in duali עֵינַיִם, oculi, & in Regimine עֵינֵי. Vide pag. 73. 18. & 76. 8. necnon 98. 14.

[אֶל־] *ad*, Præpositio. vide sup. v. 5.

[צַדִּיקִים] *iustos.* A Verbo צָדַק, *iustus fuit*, fit Nomen צֶדֶק, *iustitia*, & צַדִּיק,

iustus, in plurali צַדִּיקִים, *iusti*, pag. 70. 17.

(אָזְנָיו) *aures eius*. Radix est אֹזֶן *auris*; in duali אָזְנַיִם, cum Affixo אָזְנָיו. Vide de mutatione horum punctorum pag. 106. 13. & 105. 16.

(שַׁוְעָתָם) *clamorem eorum*. A Verbo שׁוּעַ, *clamare*, fit Nomen fœmininum שַׁוְעָה, *clamor*, in Regimine שַׁוְעַת, cum Affixo שַׁוְעָתָם, *clamor eorum*. pag. 90. 14.

פ

Versus XVI.

perdendum ad	: malum	facientes in	Domini	Vultus
לְהַכְרִית	רָע	בְּעֹשֵׂי	יְהוָה	פְּנֵי
lehachrith	*rag*	*begose*	*Adonai*	*Pene*

.eorum memoriam terra de

זִכְרָם׃	מֵאֶרֶץ
zichram	*meerets*

(פְּנֵי) *Vultus*. A Verbo פָּנָה, *aspexit*, fit Nomen plurale פָּנִים, *facies*, *vultus*, & per metaphoram *ira furor*, in Regimine פְּנֵי. Vide suprà versu 5.

(בְּעֹשֵׂי) *in facientes*. Litera ב seruilis est, deseruítque loco Præpositionis *in*. vide pag. 230. 9. Vox autem עֹשֵׂי est Par-

ticipium Kal, numeri multitudinis in Regimine, à Præterito עָשָׂה, *fecit*. Dicimus enim עָשָׂה, *fecit*, עֹשֶׂה, *faciens*, עֹשִׂים, *facientes*; עֹשֵׂי רָע, *facientes mali*, siue *malum*, vt requirit Latina Syntaxis.

S. M. *Accentus, qui debebat esse in* « *vltimâ, in penultimam migrauit propter* « *accentum mox sequentẽ in altera dictione.* « *Tenenda est enim hæc regula :* Quando, « accentu in vltimâ præcedentis dictio- « nis syllabâ residẽte, vox monosyllaba, « aut dissyllaba penacuta sequitur, tunc « ne duo accentus sese mutuò conse- « quentes collidantur, priorẽ ab vltimâ « in penultimam solere reiici, *vt hîc,* « עֹשֵׂי רָע *non* עֹשֵׂי רָע : vel in antepenul- « timam, si in penultimâ fuerit Scheua, « *vt Prouerb. 1. 12.* יֹרְדֵי בוֹר *descendentes* « *(vel descensores) sepulcri : vbi propter* « קִירוּב הַטְּעָמִים *hoc est, vicinitatem seu* « *contiguitatem accentuum, accentus prio-* « *ris dictionis non in penultimam, propterea* « *quòd in illâ est punctum Scheua, quod ob* «

„ *sui exilitatem seu breuitatem accentum*
„ *Grammaticum, vtpote secum aliquid tar-*
„ *dioris moræ importantem, ferre non potest,*
„ *sed in antepenultimam, etsi illa regulariter*
„ *accentu grammatico carere debet, reijcitur.*
„ *Fallet posita regula, quando prior dictio*
„ *est cum accentu Regio seu distinguente, vt*
„ *Dan. 10. 17.* אֲדֹנִי זֶה domini mei, istius:
„ *vbi accentus Paschta, vt regius, manet in*
„ *vltimâ prioris dictionis syllaba, sequente*
„ *licet dictione monosyllaba. Alioquin, si*
„ *prior dictio haberet accentum ministrum,*
„ *retrocederet ille accentus, quemadmodum*
„ *regula postulat, vt ipso eodem loco* עִם־
„ אֲדֹנִי זֶה cum domino meo isto: *vbi*
„ *accentus Munach, vtpote minister, ab*
„ *vltimâ in penultimam retroagitur. Fallit*
„ *quoque prædicta regula, quando prioris*
„ *dictionis penultimam syllabam sequitur*
„ *Daghes forte, vt Exodi 29. 23.* כִּכַּר לֶחֶם
„ buccellam, *vel* tortam panis. *Fallit*
„ *aliàs quoque, vt Esa. 26. 10.* לָמַד צֶדֶק
„ didicit iustitiã. *Consule Eliam Leuitam*

in libro טוב טעם *siue* de Accentib. *sect.6.*

(רֵע) *malum.* vide sup. 13. versu.

(לְהַכְרִית) *ad perdendum.* Infinitiuus cum litera seruili formatrice gerundij, in Coniugatione Hiphil, à Verbo כָּרַת, *excîdit, perdidit.* vide inflexionem, pag. 149. 14.

(מֵאֶרֶץ) *de terra.* Litera מ seruit loco Præpositionis *de, ex, ab;* & habet Tsere pro Chiric, quia sequens litera non est capax Daghes. pag. 218. 22. Vox אֶרֶץ est ipsa Radix, & significat *terram* in genere.

(זִכְרָם) *memoriam eorum.* A Verbo זָכַר, *recordari,* fit Nomen זֵכֶר, *memoria,* זִכְרָם, *memoria eorum.* pag. 90. 14. De mutatione horum punctorum vide pag. 105.

ע

Versus XVII.

omnibus ex &	:audiuit	Dominus &	Clamauerunt
וּמִכֹּל-	שָׁמַע	וַיהוָה	צָעֲקוּ
umiccol	*ſcameag*	*vadonai*	*Tſagacu*
	.eos eruit	eorum anguſtiis	
	הִצִּילֵם׃	צָרוֹתָם	
	hitſilam	*tſarotham*	

[צָעֲקוּ] *Clamauerunt.* Tertia perſona Præteriti pluralis Kal Verbi צָעַק, *clamauit.* Habet autem ſub ſecunda thematis Sceua compoſitum pro ſimplici, quia ea litera gutturalis eſt.

[שָׁמַע] *audiuit.* vide ſuprà verſu 6.

[וּמִכֹּל-] *& ex omnib.* vide ſup. ver. 4.

[צָרוֹתָם] *anguſtiis eorum.* A Verbo צור fit Nomen צָרָה, in plurali צָרוֹת, cum Affixo tertiæ perſonæ pluralis צָרוֹתָם.

S. M. *De Affixo* ם *poſt nomen plurale fœm. vide verſu 7. ad* צָרוֹתָיו.

[הִצִּילֵם] *eruit eos.* A Radice נָצַל fit in Hiphil הִצִּיל. Vide pag. 159. 13. & cum Affixo הִצִּילֵם. pag. 206. 13.

ק

Verſus XVIII.

attritos & : corde contritis Dominus Propinquus

וְאֶת־דַּכְּאֵי לֵב לְנִשְׁבְּרֵי יְהוָה קָרוֹב

dakkee veeth lef lenuchbere Adonai Karof

ſaluabit ſpiritu.

רוּחַ יוֹשִׁיעַ׃

ioſciag ruach

[קָרוֹב] *Propinquus.* Nomen à Radice קָרַב, *appropinquauit.*

[לְנִשְׁבְּרֵי] *contritis.* Litera ל ſeruilis eſt, ſeruítq; pro Articulo datiui caſus. pag. 75. 4. Vox autem נִשְׁבְּרֵי eſt Participium numeri multitudinis, in Regimine, à Verbo שָׁבַר, in Coniugatione Niphal. Dicimus enim שָׁבַר, *contriuit.* Inde Participium נִשְׁבָּר, *contritus.* In plurali נִשְׁבָּרִים, *contriti*, in Regimine נִשְׁבְּרֵי.

(לֵב) *cor.* Radix eſt לֵבָב, quod eſt Nomen integrum, & *cor* ſignificat. Inde per contractionem dicitur לֵב, & idem ſignificat. Vide de huiuſmodi Nominum formatione pag. 81. 11.

[אֶת־] Articulus eſt accuſatiui. vide verſu 1° pag. 268. 6.

[דַּכְּאֵי־] *attritos*. A Verbo דָּכָא, quod in Piel ſignificat *attriuit*, fit Nomen דַּכָּא, *attritus*, in plurali דַּכָּאִים, *attriti*, in Regimine דַּכְּאֵי. vide pag. 76. 3.

[רוּחַ] *ſpiritus*. A Verbo רָוַח, quod eſt *reſpirauit, dilatatus eſt*, fit Nomen רוּחַ, *ſpiritus, ventus, mens*, eſtq; Nomen* fœmininum habens in plurali רוּחוֹת, pag. 72. 17.

* Eſt etiam interdũ maſc.

[יוֹשִׁיעַ] *ſaluabit*, Futurum Hiphil à Radice יָשַׁע. vide ſuprà verſu 6.

ר

Verſus XIX.

his omnibus ex &	: iuſti	afflictiones	Multæ
וּמִכֻּלָּם	צַדִּיק	רָעוֹת	רַבּוֹת
vmiccullam	*tſaddik*	*ragoth*	*Rabboth*

.Dominus	eum eruet
יְהוָה׃	יַצִּילֶנּוּ
Adonai	*iattſilennu*

[רַבּוֹת] *Multæ*. A Verbo רָבַב, *multiplicatus eſt*, fit nomen רַב, *multus*; רַבִּים, *multi*; & in fœminino רַבָּה, *multa*; in

plurali רַבּוֹת, *multæ:* vbi punctum Daghes est propter defectum alterius ב Radicalis. pag. 97. 13.

(רָעוֹת) *mala, afflictiones.* A Verbo רוּעַ, *malum esse*, fit Nomen רַע, *malus*; רָעִים, *mali*; רָעָה, *mala*; רָעוֹת, *malæ.* Remanet autem vbique Camets sub prima Radicali, ad significandum defectum secundæ Radicalis. pag. 97. 22. Vbi etiam notandum, tam רַע, quàm רָעָה accipi in Scripturis & pro Adiectiuo *malus* & *mala*, & pro Substantiuo *malum*, seu *malitia*, siue *afflictio.*

(צַדִּיק) *iusti.* vide suprà versu 15.

(וּמִכֻּלָּם) *Et ex omnib. illis.* Litera ו est seruilis, significans &, habétq; punctū in vētre, quia litera sequēs est Labialis. vide pag. 225. 8. Litera מ est etiā seruilis, significans *ex*, habétq; Chiric sequēte Daghes, quia integra præpositio est מִן, sed vlt. litera ornatus gratiâ abiicitur, & eius defectus notatur per Daghes infixum in sequēti litera. vide pag. 218. 18.

Illud autem כֻּלָּם compositum est ex כֹּל.i. *omnes*, & הֵם [a].i. *ipsi*. Et quidem כֹּל, de quo suprà versu 1. cum Affixis mutat Cholem in Kibbuts, quia tunc incipit apparere Daghes forte quod latebat in litera ל, ob defectũ alterius ל Radicalis; (Radix enim est כָּלַל, *perfecit*) nec potest commodè ante Daghes forte ponĩ longum punctum [b]. Itaque ex כֹּל & הֵם [c], fit כֻּלָּם.pag.97.12.

(יַצִּילֶנּוּ) *eruet eum*. A Radice נָצַל fit Præteritum in Hiphil הִצִּיל, *eruit*, inde est Futurum יַצִּיל, *eruet*, & cum Affixo יַצִּילֶנּוּ *eruet eum*. Vide sup. versu 4.

a vel potiùs Affixo ם.

b Nisi fuerit accẽtus Gram. cum puncto longo.

c vel potiùs ם.

ש

Versus xx.

eis ex	vnum	:eius ossa	omnia	Custodiens
מֵהֵנָּה	אַחַת	עַצְמוֹתָיו	כָּל־	שֹׁמֵר
mehenna	*achat*	*gatsmothau*	*col*	*Scomer*
		contritum est	non	
		נִשְׁבָּרָה׃	לֹא	
		nischara	*lo*	

(שֹׁמֵר) *Custodiens*. A Præterito שָׁמַר, *custodiuit*, fit Participiũ שׁוֹמֵר, *custodiens*;

quanquã etiam rectè vertitur *custodit* à D. Hieron. & à LXX. Interpretib. quia Hebræi sæpè vtuntur Participio pro Præsenti, quo carent.

(עַצְמוֹתָיו) *ossa eius.* A Verbo עָצַם, *roboratus est*, fit Nomen עֶצֶם, *os, robur, fortitudo*, in plurali עֲצָמִים & עֲצָמוֹת, *ossa*; inde cum Affixo עַצְמוֹתָיו, *ossa eius.*

(אַחַת) *vnum*, est numerus cardinalis generis fœminini, sicut etiam *os ossis* hoc loco est generis fœminini. Vide Tabulam Numer. pag. 85. 4.

(מֵהֵנָּה) *ex eis*, Præpositio cum pronomine generis fœminini, numeri multitudinis. Vide pag. 89. 12. Est autẽ Daghes in litera Nun post longam vocalẽ ratione Accentus. Vide p. 47. 1.

(לֹא) *non*, Aduerb. negandi, pag. 213. 11.

(נִשְׁבְּרָה) *contritum est.* A Radice שָׁבַר, *contriuit*, fit Præteritũ in Niphal נִשְׁבַּר, *contritus est*, & in fœminino נִשְׁבְּרָה, *contrita est.* Vertimus tamen hoc loco, *contritum est*, quia *os* apud

Latinos est generis neutri: porrò sub litera ב est . pro :, propter Accentum distinctiuum. Vide pag. 93. 7.

ת

V. mora peccatorum pessima: et qui oderunt iustum, delinquent.

Versus xxi.

odientes &	:malitia	impium	Interimet
וְשֹׂנְאֵי	רָעָה	רָשָׁע	תְּמוֹתֵת
vesonee	*raga*	*rascag*	*Temotheth*
	.desolabuntur	iustum	
	יֶאְשָׁמוּ׃	צַדִּיק	
	iescamu	*tsaddik*	

(תְּמוֹתֵת) *interimet.* A Verbo מוּת, *mortuum esse*, fit in Coniugatione Piel מוֹתֵת, *interemit;* inde in tertia persona Futuri generis fœminini, num. singularis, תְּמוֹתֵת, *interimet.* vide inflexionem, pag. 145.8.

(רָשָׁע) *impium.* A Verbo רָשַׁע, *impius fuit*, fit Nomen רָשָׁע, *impius.*

(רָעָה) *malitia.* Vide versu 19.

(שֹׂנְאֵי) *odientes.* A Præterito שָׂנֵא, *odit*, fit Benoni שׂוֹנֵא, *odiens*, in plurali שׂוֹנְאִים, *odientes*, in Regimine שׂוֹנְאֵי:

Parti-

Participia enim flectuntur more Nominum. pag. 134. 3.

(צַדִּיק) *iustum.* Vide suprà versu 15. Deberet quidē verti, *iusti*, quia genitiui casus est apud Hebræos, tamen vertimus *iustum* propter Latinā Syntaxim.

(יֶאְשְׁמוּ) *delinquent*, vel *desolabuntur.* A Præterito אָשַׁם, *deliquit*, seu *desolatus est*, fit Futurum יֶאְשְׁמוּ, *delinquent*, seu *desolabuntur.* Ponitur autem hoc loco Camets pro Sceua, sub litera שׁ, propter Accentum distinguentem. Vide pag. 93. 7.

פ

Versus XXII.

non & : suorum seruorum animam Dominus Redimens

וְלֹא	עֲבָדָיו	נֶפֶשׁ	יְהוָה	פּוֹדֶה
velo	gauadau	nepheſc	Adonai	Pode

.eo in confidunt qui omnes desolabuntur

בּוֹ	הַחוֹסִים	כָּל	יֶאְשְׁמוּ
bo	hacheſim	col	ieſcemu

[פּוֹדֶה] *Redimens.* A Præterito פָּדָה, *redemit*, fit Benoni פּוֹדֶה, *redimens.* Pag. 183. vlt.

X

(נֶפֶשׁ) *animam*, est ipsa Radix, siue primitiuum Nomen.

(עֲבָדָיו) *seruorum suorum*. A Verbo עָבַר, *seruiuit*, fit Nomen עֶבֶד, *seruus*; in plurali עֲבָדִים, *serui*; in Regimine עַבְדֵי; & cum Affixo עֲבָדָיו. De mutatione Punctorum vide pag. 105.

(הַחוֹסִים) *qui sperant*. Litera ה præposita Participio seruit loco Pronominis relatiui. pag. 223. 15. Illud autem חוֹסִים est Participium, à Verbo חָסָה *sperauit*. Hinc enim fit Participium חוֹסֶה, *sperans*; & in plurali חוֹסִים, *sperantes*. Vertimus tamen *qui sperant*, quia vtuntur Hebræi Participio loco Præsentis temporis, & tunc maximè cùm præcedit Pronomen.

(בּוֹ) *in eo*, Præpositio cum Affixo. Vide pag. 230. 14.

S. M.
COROLLARIVM.

Celebris disputatio inter Hebræos Grãmaticos, num similes literæ concurrentes absorberi debeant, nécne?

SI quando duæ literæ similes, quarum prior afficiatur Scheua, in dictione concurrant, ambæ interdum diserte leguntur, interdum verò non. Si quidem eas vocalis magna præcedit, nemini dubium esse potest, quin ambæ tunc moueri seu legi debeant, vt in סַבְּבוּ circundederunt, כּוֹנְנוּ firmauerunt, *& alijs similibus exemplis. At si vocalis parua duntaxat præcedit, affirmat R. Dauid Kimchi* רֹאשׁ הַמְדַקְדְּקִים, *hoc est,* princeps Grammaticorum, *in prima parte Miclol, pag. 94. col. 2. alteram tunc absorberi, nec clarè vtramque exprimi, sed ambas, instar vnius, raptim ac celeriter proferri, vt in* רִבְבוֹת myriades, *Deut. 33. 17.* רִנְנַת

ouatio, *Iob 20.5. Etiã in lingua Aramæa, seu Syriaca, vt in* לִבְבֵהּ cor eius: *interdum tamen ambas disertè ac distinctè exprimi, licet præcedente vocali breui, sed tunc cum vocali breui scribi accentum* מַאֲרִיךְ, *id est*, prolongatorem, *(alij Methegh appellant) necnon sub priore similium Chateph pathach, vt in* בְּרִבְבוֹת in myriadibus, *Mich. 6.7. Verùm, vt ita sit de similibus literis in vna dictione, quemadmodum sentit R. Dauid, (quanquam repugnabunt, ac dicent post vocalem breuem duas similes literas clarè esse proferendas, qui volunt Scheua sub priore similium semper legendum esse, inter quos est Author noster pag. 34. 3. alijque præstantissimi Grammatici) controuersia est de similibus literis concurrentibus, vnâ in fine vnius dictionis, alterâ in principio alterius dictionis mox sequentis, num ambæ legi debeant, an illarum altera sit absorbenda. R. Saadias scribit quosdam Hebræorum vnam absorbere, quosdam*

verò non: exempli gratiâ, in יָרוּץ צַדִּיק curret iustus, prius Sade in posteriore à quibusdam absorberi, à quibusdam verò minimè, sed vtrumque distinctè proferri. Ac sunt qui dicant, vt refert Kimchi libro citato, idcircò Prou. 20. 14. in אָוַל לוֹ discedens sibi, & alibi in quibusdam similibus exemplis, duplicem esse accentum, vt doceantur qui legunt, duas literas similes esse distinctè proferendas, nec vnam absorbendam. Quasi verò, inquit Kimchi ibidē, propter duplicem accentum vna absorberi non possit, & duplex accentus alibi, vbi non concurrunt duæ literæ similes, non etiam reperiatur? R. Ionas scribit vnam esse absorbendam: ac cōfirmat sententiam, ex eo quòd veteres Rabbini monuerint in lectione, Audi Israël, similes literas diserte esse proferendas, ac distinguendas, vt in עַל־לְבָבֶךָ in corde tuo. Inde enim colligebat similes literas aliàs esse absorbendas, nec similes tantùm, sed eas etiam quæ sunt eiusdem organi, itaut in וְיִתֵּן־לִי, & dabit

mihi, *possit quis, si libuerit, literam* נ *in* ל *absorbere: sicq; in* אֶל־נְמָלָה ad formicā, ל *in* נ. *Ita quoque in media dictione, vt in* שְׁחָטְתֶם mactastis. *R. Dauid Kimchi libro cit. pag. 95. col. 2. putat omnes semper literas diserte esse pronunciandas, nec vnquam absorbendas. Atque ad rationem Ionæ ex verbis veterum Rabbinorum petitam respondet, ex eo quòd illi monuerint in lectione,* Audi Israël, *literas omnes distinctè esse proferendas, non licere colligere aliàs absorberi posse, sed id de quo illi monuerunt, vniuersim de omnium Sacrorū Librorum lectione esse intelligendum, siquidem ex præcepto alij etiam Sacri Libri legendi sint. Quòd verò id speciatim* de Lectione illa *monuerint, factum esse ob duas causas: primò, quòd eâ lectione mandata contineantur: secundò, quòd bis singulis diebus Israëlitæ omnes, tam indocti, quàm docti, eam lectionem recitare teneantur, ideoq; opus fuerit admoneri indoctū vulgus, pronuntiandi imperitum,*

vt diſertè, ac diſtinctè omnes literas exprimeret. Addit Kimchi, prædictos Rabbinos hoc præterea monuiſſe; vt diſtinctè literæ proferrentur, ne vna pro alia accipi poſſet, vt Samech pro Zaïjn, & aliæ ſimiles, quas nemo, niſi profanus, dicat extra Lectionẽ illã confundi poſſe. Et procul abſit, inquit, vt dicat aliquis in Lege extra illã Lectionẽ pro תִּזְכְּרוּ Recordabimini, *permiſſum eſſe legere* תִּסְכְּרוּ obſtructis, *corruptâ ac vitiata voce, eiuſque ſignificatione. Hæc ferè R. Dauid loco ſuprà cit. Neque verò pigebit adſcribere, quæ poſtea habet in ſequente pagina, quibus ſuam ſententiam apertiùs declarat.* Mihi videtur, *inquit*, quòd ad pronuntiationem ſeu lectionem attinet, neceſſe eſſe, vt quis, dum legit ſiue in Lege, ſiue in Prophetis, & Agiographis, diligenter, omnibúſq; modis non voces modò, ſed etiam literas diſertè proferat, ac diſtinguat, quantumuis ſimiles, in eadem etiam dictione, eáſque poſt vocales breues,

